

BOTANISCHES INSTITUT  
der Universität Wien


Bibliothek

J.-Nr. 4621

Sign. C 176/16

4621  
C 176/16

BOTANISCHES MUSEUM  
der k. k. Universität.



**DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICO-BOTANICA  
SISTENS  
PLANTAS VENENATAS  
IN  
TERRITORIO VINDOBONENSI  
SPONTE CRESCENTES,  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
ILLUSTRISSIMI ET MAGNIFICI  
DOMINI  
**PRAESIDIS ET DIRECTORIS,**  
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI  
**D E C A N I,**  
NEC NON  
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM  
D. D. PROFESSORUM,  
PRO  
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS  
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA  
**UNIVERSITATE VINDOBONENSI**  
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT:  
**Wenceslaus Guilielmus Praschil,**  
Bohemus Tustensis.**

---

In Theses adnexas disputabitur in aedibus Universitatis  
die 1. mensis Augusti 1840.

---

VIE N N A E.  
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

Wozu die Dinge in der Welt einander nützen, wozu das Manigfaltige in einem Dinge für dieses Ding selbst gut ist, wie man sogar Grund habe, anzunehmen, dass nichts in der Welt umsonst, sondern Alles irgend wozu in der Natur gut sei: — das Alles leistet die teleologische Weltbetrachtung sehr herrlich und zur äussersten Bewunderung.

Kant,

*Critik der Urtheilskraft*, p. 402.

**DOMINO DOMINO**

**J. GEORGIO WINKER,**

**IN PERENNIS GRATITUDINIS SIGNUM**

**PAGELLAS HASCE SACRAS ESSE VULT**

*Auctor.*

СИКОМ ФЕЛОД

Л. ГЕОРГИУ СИКОМ

IN LITERARIA CULTISSIMA ET  
LITERATURIS CULTISSIMA ET

АДАМСКАЯ МОСКОВСКАЯ

## DE VENENIS GENERATIM.

### §. 1.

**N**omine veneni (*τοξικόν*) omnem comprehendimus substantiam, quae exigua mole ingesta oppositione sua dynamico-chemica ad organismum vivum vehementes turbas excitat, ita ut valetudinem secundam subvertat vitamque morbi imperio subjiciat vel imo extinguat.

### §. 2.

Quo major autem illa oppositio inter venenum atque corpus vivum quoad internam utriusque indolem intercedit, eo violentior etiam erit, in quem congreguntur, conflictus et eo vehementiores exsurgent turbae, quo minus homo a vero sanitatis tramite adhuc abludit.

### §. 3.

Notionem veneni nihilominus mere relativam esse cuique liquet, illius enim effectus per individualitatem diverse modificatur, limitatur nec non etiam deletur.

### §. 4.

Non est venenum, quod nisi pauca excipere velis, omne individuum, in omni casu, in omni qua exhibetur, dosi trucidat. Tali pacto reperiuntur aves haud paucae, quae impunes vescuntur Cicutae seminibus — columbae, gallinae atque anseres semina Lolii temulenti absque damno devorant, dum e contra ingurgitatione baccarum Sambuci nigrae pullos gallinaceos necari ferunt. (Virey. Journ. univ. VI. 26).

## §. 5.

Ipse homo res, quas simplici victui adstrictus reformidat, in quotidianum scit convertere usum; sufficit in memoriā revocare catervam illorum, qui nonnisi sorbillando potum Coffeae, condimentis v. c. Vaniglia largiter refertum simulque fumum herbae Nicotianae gliscentis adtrahendo felices sese jactitant. En tot potentias nocentes, quae in detrimentum vitae conspirant, sub quibus tamen agentibus mileni per lustra incolumes vitam vivunt. Quid? quod in Orienti ad largas Opii portiones confugiant, quo evigilent laboribus fungendis, et celeb. Christison refert famosos Angliae Opiovoros, qui singulis diebus 10 uncias Laudani commedere consueverunt \*).

## §. 6.

Idcirco et substantia, quae lethales vitae struit insidias, sub alia rerum positione harmoniam inter singula organa vel systemata solutam ad normam revocare valet, i. e. venenum atrocissimum in medici manu ad remedium solenne extollitur.

## §. 7.

Viae, quibus toxica organismum adgrediuntur, haud sunt aliae, quam quae pro adipicandis medicaminibus eliguntur. Inter omnes maxime expedita est illa ad ventriculum per os, ast corpus per cutem externam, vaginam, anum etc. itidem infici abunde patet.

## §. 8.

Suspicionem intoxicationis movent: Quaelibet phaenomena insolita, quae in homine ceteroquin sano effreni cum impetu absque omni nexu causali erumpunt atque vitam

---

\*) K. Christison: über die Gifte. Aus dem Englischen. Weimar, 1831. — P. 36.

ipsam summum in periculum brevi saepe conjiciunt. Sunt haec: Summa ciborum aversatio, vomituritio, imo vomitus ipse materiae degeneratae, sanguinis etc.; alvi dejectiones colliquativae, aut pertinax obstipatio, sitis non domanda; ardor, dolor epigastrii omnem attactum reformidantis, inflammatio, meteorismus; — hallucinationes sensuum, lusus phantasiae inordinati, pavores sub somno, lipothymiae, spasmi—lapsus virium notabilis, pulsus abnormis, febrilis,—respiratio alienata, anxia, vox debilis, aphonia — horrendisque sub cruciatibus mors ipsa.

### §. 9.

Cardo therapiae intoxicationis versatur in eo, ut:

**1.** venenum quantocius eliminetur. Palmam omnibus medicaminibus praeripiunt emetica, quae morbum nascentem non raro in germine adhuc suffocant. In hoc casu omnis contraindicatio minoris facienda, dum vita periculo circumdatur, et habitus apoplecticus, phthisicus, haemoptysis, herniae, graviditas etc. circumspectam quidem sibi exposcunt ponderationem, quin emetici subministrationem excludant.

Remedia vero alvum sollicitantia auctoritatem sibi vindicabunt veneno magis jam proiecto ad tractum intestinalem, quibus tamen enemata emollientia non raro praefterri merentur.

**2.** Intoxicatione e longiori tempore saeviente praedicantur ea, quae venenum decomponere vel neutralisare queunt, ubi sic dicta antidota locum opportunum inveniunt.

### §. 10.

*Antidotum* (Gegenmittel, Gegengift, ἀλεξιφάγων) omnis dicenda erit substantia, quae effectum veneni perniciosum delet.

Verum tamen antidoti nomen nonnisi illa meretur substantia, quae:

1. majori etiam mole corpori ingesta nullas molestias secumfert,
2. venenum sub omni forma aut fluida aut solida impugnat,
3. vim suam salutarem brevi expedit,
4. virtute gaudet connubium ingrediendi cum toxicō in ventriculi contentis, quaecumque etiam sint \*)-

### §. 11.

Venena pro variis, unde depromuntur, naturae regnis respicientes in regno plantarum alia reperimus, quibus adhaeret principium *narcoticum*, alia, quae superbiunt principio sic dicto *acri*, et iterum alia, in quibus utrumque nuptum reconditur. Illud, quod narcoticum vocant, natura est magis volatile, cui opponitur sic dictum fixum, quod in materia alcaloide e. g. Morphio, Strychnino etc. in quibusdam acidis e. g. ac. hydrocyanico—mater. resinosis, extractivis et colorantibus deprehendere licet.

### VENENA VEGETABILIA.

#### §. 12.

Chemicorum conatibus necdum adhuc licuit venena singula e plantis elicita illis experimentis detegere, quae ad explorandas partes mineralia constituentes fausto plerumque successu in usum trahuntur.

Venena vegetabilia carbonio praevalente ab illis animalium potissimum distingui constat.

Inter plantas, quas venenatas quasque innocuas dicunt, discrimin debitum plane adhuc desideratur, et quae auctores effati sunt de externa plantarum qualitate e. g. colore lurido,

\*) **O r f i l a:** Allg. Toxikologie, deutsch v. D. O. B. Kühn. 2 Bde. In der Bibliothek d. ausländ. Literatur B. 17 u. 18. Leipzig, 1839. 8. vide V. I. p. 19.

**S c h n e i d e r:** über die Gifte. 2. Aufl. Tübingen, 1821. 8. p. 173.

tetro etc. odore mucido, caput obruente etc. de quarumdam bestiarum sagacitate, qua ab esu plantarum sibi infensarum abhorrent — haec inquam cancellis arctis circumscribi merentur.

Nam magna plantarum exstat cohors, quae vix ac ne vix quidem unica nota, venenatis solenni insignitur, dum e contra alias offendimus amoenissimo colore superbientes suaviterque fragrantes, quae eas concupiscentem letheis sopiunt undis.

### §. 13.

Principium illud toxicum haud aequali diffunditur ratione per singulas vegetabilium partes; sunt enim alia, quorum nonnisi radicem, alia, quorum fructus etc. veneno graves offendimus v. g. Amygdaleae — Persica vulgaris, prunus, cerasus etc. includunt illud principium in nucleo, dum tamen mesocarpium (vulgo caro) gulæ adridet et absque incommodo ingeritur.

### §. 14.

Communem venenorū divisionem pro diverso, quem in corpore animali ponunt, *effectu* — therapiae profecto acceptissimam — amplectentes singulas dein adumbrabimus plantas, quas iterum juxta *characterem familiarem* in certum redigemus ordinem, dum persuasum habemus ex hac divisione plantarum non minus emolumenti redundare medico, ut qui perplures plantas, eodem familiae vinculo sibi junctas, scopo etiam medenti plerumque pares reperiet.

## I. PLANTAE NARCOTICAE.

### §. 15.

Plantae narcoticae audiunt illae, quae principio suo praevalente stuporem sensibilitatis atque temulentiam provocant. *Intoxicationis phaenomena.* — Vertigo, capitis obnu-

bilatio, coma, deliria, sensuum hallucinationes, bulbi protrusi rubore suffusi, pupilla dilatata, diplopia, photopsia, carotides vibrantes, respiratio alienata, convulsiones, quae, cum sub finem erumpunt, non dolori, sed ultimae virium vitalium luctae adscribuntur \*). Modo accedunt animi delicia, paralyses praecipue, extremitatum inferiorum, donec mors vitae finem accersit.

### §. 16.

**Morbi**, quibus intoxicatio illa facile confundi posset, sunt: apoplexia, epilepsia, enkephalitis, myelitis, asphyxia etc.\*\*). Hinc et circumspecta omnium symptomatum ponderatione opus est medenti, ne deceptus morbum verum incongrue tractet.

### §. 17.

**Therapia.** Hoc in casu vomitus nonnisi rarissime proprio Marte heterogeneum eliminat, hinc et quantocius arte erit sollicitandus. Zincum sulf. et Cuprum sulf. summum inter reliqua medicamina locum usurpant. Quae si non praestosunt, emesin digitis faucibus immissis vel largo aquae tepidae haustu ciere licet. Posthac symptomata veneno inducta praecipuam sibi vindicant attentionem. Sanguine versus enkephalon urgente depletiones sanguinis partim universales partim locales sunt instituendae.

Comprobatae virtutis sunt etiam inspersiones aquae frigidae. Quae vero narcosi in corpore ulterius explicata profertur, sanguinis decompositio, suam ab acidis vegetabilibus e. g. acido tart. — a. citr. et a. acet. etc. subministratis medelam vel mitigationem exspectat, quibus vitam in nervorum systemate exaltatam componere et ad normam revocare fas est. Quodsi vero e narcoticorum vi lapsus ac dejec-

\*) Schneider op. cit. p. 144.

\*\*) Christison op. c. p. 683.

ctio virium sese evolvit, egregium effectum exserunt excitantia — Valer. Angel. Camph. Mosch. etc. simulque antispastica, derivantia, sinapismi etc.

### §. 18.

*Sectio.* Lineamentorum faciei alienatio, oculi semi-clausi, ventriculus cum tubo intestinali, ni expansus, ab omni fere labe immunis, pulmones vero coloris plerumque variegati, nigris maculis obsiti, eorumque textura solito densior. Quae alii adhuc commemorant criteria, putredo nempe, in quam cadaver cito ruit, maculae cutis lividae etc., profecto nec minus sunt aliis etiam beneficiis solennia.

## II. PLANTAE ACRES.

### §. 19.

Plantae acres illae nuncupantur, quae partem, cui applicantur, vehementer irritant, et inflammant.

*Intoxicatio.* Faciei collapsae desiguratio, bulbi in orbitam immersi, lingua rubra, sicca, spissa, sensus ardoris in ore et faucibus, constrictio gulae, sitis excedens, dolor epigastrii expansi continuus, ardens (gastritis venenata Schönlein et Piorry\*)—intoxicatio acuta Schmalz \*\*). Quaecumque ingeruntur inter vehementes crucitatus vomitu iterum rejiciuntur vel per alvum ruunt tenesmo simul torquente. Pulsus tangitur frequens, duriusculus, — vertigo fere nunquam adest neque paralysis extremitatum inferiorum, et si jam adparuerint, morbo nonnisi sub ulteriori cursu sese adsociant.

\*) Diagnostik u. Semiotik, Aus d. Französischen, v. Dr. Krupp.  
Leipzig, 1838. V. II. p. 86.

\*\*) Diagnostik in Tabellen, 3. Aufl. Dresden, 1816. p. 54.

## §. 20.

**Inter morbos, qui cum gastrite venenata commutari possent, propter aliquam formae analogiam, notari prae aliis merentur:**

**1. Irritatio primarum viarum, unde perforationes non raro originem ducunt, quas tamen a sic dictis spontaneis distinguere velle, prout hoc celeberrimo **Orfila** e conditione marginum foraminis placuit \*), adnuente **Andral**\*\*) irritum conamen esset. Majorem dignitatem vero sibi vindicant escharae gangraenosae, quae, veneno assumto in ventriculi parietibus copiose passimque deprehenduntur, dum e contra perforatio spontanea vix non semper ventriculum prope fundum devastat \*\*\*). Alii morbi, qui gastritidem venenatam sat saepe simulant, sunt: **Gastritis phlegmonosa**, **haematemesis**, **cholera**, **ileus spasticus**, **symptomaticus**, **peritonitis**, **hernia incarcerata** \*\*\*\*).**

## §. 21.

**Therapia.** Morbo in exordio versante promtissimum auxilium adferunt emetica, cui scopo Ipecacuanha in primis respondet, dum **Tart. stib. venenum**, cui opponitur, effectu suo simul cathartico per tractum intestinalem perducit. Ad vomitum sustentandum diluentia, mucilaginosa et oleosa exhibeantur, utpote **Aq. tepida**, **mera**, **saccharina**, **mellita**, **dect. sem. Lini**, **Alth. Malv.** **Aven.** **Hord.** **Oryz. ol.** **Amygd. r. p.** **Oliv.** etc., quae affatim hausta venenum partim e ventriculo exturbant, partim vero, quod superest, diluunt et

\*) **Orfila** op. cit. Vol. II. p.

\*\*) **Andral**, pathologische Anatomie. Deutsch v. D. F. W. Becker Leipzig 1830. Vol. II. p. 74.

\*\*\*) **Andral**, Clinique médical, 3 Edit. Bruxelles 1835 Vol. IV. p. 20.

\*\*\*\*) **Orfila** op. cit. Vol. II. p. 518.

decomponunt. — Dummodo tamen prima inflammationis phaenomena in lucem emergant, depositis omnibus, quae emesin movent, methodum antiphlogisticam pro re nata in varia sua extensione amplecti oportet.

### §. 22.

**Sectio.** Membrana mucosa tractus intestinalis veneno polluta colorem exhibet laete rubrum, saepe et nigrescentem sanguine transudato, modo et arrosa, exulcerata conspicitur, facile secedens ab illa musculosa, (Hebenstreit et Mahon \*) — hinc parietes ventriculi haud raro perforati. Medulla cerebralis ac spinalis sanguine turget, nec non lobi inf. pulmonum, qui nunc ad hepatisationm disponuntur (Schönlein).

## III. PLANTAE NARCOTICO - ACRES.

### §. 23.

Haec dupli insigniuntur effectu: topico seu irritanti atque remoto, sistema nervorum obruenti; hinc praeter phaenomena, narcosi solemnia, irritatio primarum viarum simul adest, vomitus, qui nonnisi rarissime movetur, est pertinax, thorax fere immobilis, respiratio interrupta, miser tetram offert asphyctici imaginem, mox iterum recreatur, donec paroxysmus nova recrudescat ferocia.

Therapia, quae ab utraque praegressa pro rerum statu participat, sedulam omnium momentorum collectionem sibi exposcit, ut morbus energice impugnetur.

### §. 24.

Ut singularum plantarum toxicarum effectum, et in quam rediguntur, familiam aptius combinare liceat, sequitur nunc earum *conspectus systematicus*:

\*) Schneider op. cit. p. 210.

<b>Plantae</b>		<b>Narcoticae.</b>
Monocotyle- doneae v. Endogenae.	Gramineae	Lolium temulentum.
	Aroideae	.
	Melanthiaceae	.
	Alismaceae	.
	Asparageae	.
Dicotyledoneae v. Exogenae.	Cupressineae	Taxus baccata.
	Euphorbiaceae	.
	Aristolochiae.	.
	Thymeleae	.
	Polygonace	.
	Primulaceae	.
	Scrophularineae	.
	Solanaceae	Hyoscyamus niger. Datura stramonium. Atropa Belladonna. Solanum $\alpha$ .nigr. $\beta$ . Dulcamar.
	Apocynaeae	.
	Cucurbitaceae	.
	Compositae	Lactuca Scariola.
Umbelliferae		
	Ranunculaceae	.

**Acres.**

**Narcotico-acres.**

*Arum maculatum.*

{ *Veratrum α. album β. nigrum.*

{ *Colchicum autumnale.*

*Alisma Plantago.*

*Paris quadrifolia.*

*Euphorbia Cyperissias* etc.

*Asarum europaeum.*

*Daphne α. Mezereum β. Laureola.*

*Polygonum hydropiper.*

*Cyclamen europaeum.*

*Gratiola officinalis*

*Mercurialis perennis.*

*Digitalis purpurea.*

*Cynanchum Vincetoxicum.*

*Bryonia α. alba β. dioica.*

*Conium maculatum.*

*Anthriscus sylvestris.*

*Myrrhis temula.*

*Cicuta virosa.*

*Sium α. latifol. β. angustif.*

*Oenanthe fistulosa.*

” *Phellandrium.*

*Aethusa Cynapium.*

*Ranunculus α. sceleratus β. acris.*

*Anemone nemorosa.*

*Pulsatilla pratensis.*

” *vulgaris.*

*Clematis Vitalba* . . . . .

” *erecta*

*Caltha palustris.*

*Helleborus niger.*

” *viridis*

*Aconit. Lycocotonum* etc.

# A. PLANTAE MONOCOTYLEDONAE JUSS.

s e u

## VASCULARES ENDOGENAE D. C.

### GRAMINEAE.

#### 1. **Lolium temulentum.** (*Aiqα, gr.*)

Taumelloch, Sommerloch, Schwindelhafer, Trespe,  
Oest. Kühweizen.

Gilek meylný - zlomocný, Meylek, *Boh.* Matonog, *Pol.*  
Üszögös Konkoly, *Hung.* Loglio, Gioglio, *Ital.* Yvraie, *Gal.* Yvray, Darnell, *Angl.*

F. D. 161. Host. g. I. 26.

*Rad.* annua, fibrosa. *Culm.* erectus, glaber, superne  
scaber, nodis 3 — 4 interstinctus, 2 — 3 pedalis.  
*Fol.* vaginata, linearí-lanceolata, una alterave facie  
scabriuscula, striata; spica longissima, rachis flexuo-  
sa, scaberrima; spiculae sessiles, oblongae; glumae  
oppositae, oblongae, acutae, striatae.

Inter segetes, in primis inter hordeum et avenam. Fl.  
Majo — Jul.

### AROIDEAE.

#### 2. **Arum maculatum.** (*Forsan ab ἀρά, noxa, ob acri- moniam radicis*).

Gefleckter Aron, Aronswurz, Magen-Zehrwurz, Arons-  
stab, deutscher Ingwer, Pfaffenblut, Eselsohren,  
Kühwurzel.

Aron blamatý, Aronowy kořen, *Boh.* Aronowa bro-  
da, *Pol.* Aron gyökér, *Hung.* Aro volgare, *Ital.* Gouet

commun, *rulgo* pied - de - veau, *Gal.* Common arum, wake robin *Angl.*

**F. D. 505. — Pl. 654.**

*Rad.* perennis, tuberosa, ovata, carnosa, albo - fusca, tuberculis fibrisque sparsis. *Fol.* longe petiolata, hastato - sagittata, integerrima, supra nitida, interdum nigro - maculata, lobis deflexis. *Spatha* ventricosa, viridicans. *Spadix* clavatus, cuius partem inferiorem germina plurima, stylo deciduo instructa obducunt, partem vero superiorem stamina innumera. *Baccæ rubrae*, 1 — polyspermae. In sylvis et dumetis — Prater, Hütteldorf, Weidling am Bach etc. Fl. vere.

MELANTHIACEAE.

**3. Veratrum album.** (*Nonnulli a vere atrum, quod atram habeat radicem v. atrum expurgat humorem.*)

Weisser Germer, weisse Niesswurz, Hemerwurz.

Keychawice bjla, *Boh.* Biała ciemierzyca, *Pol.* Elleboro bianco *Ital.* Hellébore blanc. *Gal.* White hellebore. *Angl.*

**F. D. 1120. — Jacq. F. A. 335. — Pl. 728.**

*Rad.* cylindrica, digitum et ultra crassa, carnosa, extus nigrescens, fibris teretibus longis undique instructa, intus ex fusco - alba. *Caul.* erectus, teres, fistulosus, 2 — 4 pedalis, inf. foliorum vaginis tectus, sup. villosus. — *Fol.* amplexicaulia, integerrima, plicata, nervosa, dorso villosa; inferiora ovata, obtusa; - superiore oblongo - lanceolata, acuta. *Flor.* hermaphroditi, terminales, in racemis paniculatis. *Perianthium* subcorollinum, 6 partitum: *lacin.* subciliato - denticulatis, albis, subtus viridibus, patentibus. *Caps.* 3, polyspermae. *Sem.* oblonga, fusco - rubra, alata.

In montanis, subalpinis, — Thiergarten.

Fl. Jun. — Aug.

#### 4. **Veratrum nigrum.**

Schwarzer Germer, schwarze Niesswurz.

##### F. D. 336.

Priori similis. *Racemus terminalis*, longus. *Petala*, sub-evata, nitida, patentia, atro-purpurea.

Kobenzel, Dornbach, Geissberg etc.

Fl. Aestate.

#### 5. **Colchicum autumnale.** (*Ab insula Colchide, ubi copiose crescit, Diosc. 4,84.*)

Herbstzeitlose, Herbst-Spinn-Lichtblume, nackte Jungfer, Oest. Michaelsblume, wilder Safran.

Öcun podzimnj, Boh. Gwiazdosz jeśnienny, Rozsiad, Pol. Oszi kükörtsin, Hung. Colchico, Ital. Colchique d'automne vulgo tue — chien, Gal. Meadow saffron, Engl.

##### F. D. 1642. — Pl. 279.

*Rad.* bulbus ovatus v. subrotundus, subcompressus, carnosus, membrana dupli vestitus, exteriori brunea, coriacea — inter. alba, teneriori, splendida. *Fol.* radicalia, lato-lanceolata, erecta, plana. Floret autumno absque foliis, quae primum subsequente vere et aestate in lucem emergunt. *Perig.* tubo longissimo, albo; limbo campanulato, 6 partito, violaceo-incarnato, laciniae elliptico-lanceolatae; stam. 6, ori tubi inserta, limbo breviora; *styli* 3, filiformes. *Caps.* magna, 3 locularis, dehiscens, polysperma; *sem.* subglobosa, rugosa.

In pratis, aliisque locis herbidis.

#### ALISMACEAE.

#### 6. **Alisma Plantago.** (*Ἀλισμα Diosc. quod Linné derivat ab ἀλυσμα, anxietas.*)

Wasserwegerich, Frosch-Hasenlöffel, Pfeilkraut, Waldbart.

Žabnjk gitrocelowity, *Boh.* Babka wodna, Žabieniec, *Pol.*  
*Vizi Uti-fü*, *Hung.* Plantaggine aquatica *Ital.* Fluteau  
 plantaginé, *Gal.* Great water-plantain, *Angl.*

F. D. 561. Pl. 292.

*Rad.* tuberosa, carnosa, fibrosa. *Scap.* erectus, trigonus, ramosus: ramis verticillatis. *Fol.* subcordato-oblonga, acuta, integerrima, 3 — 7 nervia. *Perig.* 6 phyllum: phyllis 3 exterioribus ovatis, persistentibus, viridibus, calycinis — 3 internis subrotundis, patentibus, roseis, corollinis. *Caps.* compressae, muticae, obtusae, trigonae.

In palustribus, fossis. etc. *Fl.* Jul. — Aug.

### ASPARAGEAE.

7. **Paris quadrifolia.** — (*A par, propter symmetriam positionem foliorum partiumque floris*).

Vierblättrige Einbeere, Vierblatt, Paris — Wolfsbeere, Sterakraut, Schweinsauge, Fuchstraße.

Wranowec čtyrlistý, *Boh.* Jagoda jedna, *Pol.* Tsilay-fü, *Hung.* Uva di volpe, *Ital.* Parisette, raisin de renard, *Gal.* Oneberry, True love, *Angl.*

F. D. 139. Pl. 311.

*Rad.* calamum script. crassa, teres, horizontalis, geniculata, fibrosa, flavo-fusca. *Caul.* humilis, erectus, teres, striatus, nudus, rubicundus, simplex. *Fol.* quaterna v. quina, v. et sena, verticillata, singula sessilia, ovata, acuta, nervosa, glabra. Pedunculus terminalis, erectus, uniflorus. *Perig.* 8 phyllum: phyllis 4 exter. ovatis, acutis, nervosis, pallide viridibus, calycinis — 4 inter. linearibus corollinis, quae cum prioribus alternant. *Bac.* subrotunda, carnosa, nigro-coerulea, 4 locularis.

In sylvis umbrosis. *Fl.* Ap. — Maj.

## B. PLANTAE DICOTYLEDONEAE JUSS.

v e l

### VASCULARES EXOGENAE DC.

#### CUPRESSINEAE.

8. **Taxus baccata.** (*a τοξικόν, venenum, v. a taxare, strafen, ad indicandas dotes venenatas, nam apud veteres erat arbor Furiarum*).

Gemeine Eibe, Eibenbaum, Ibe, Ife. —

Tis ewropejský, T. čerwený, Boh. Cis jagodorodny, Pol. Tissa-fa, Hung. Tasso, albero della morte, Ital. If commun *vulgo* bon d'aci, Gal. Yew tree, Angl.

#### F. D. 1240.

*Rad.* lignosa, rhizomate crasso 2 pedali. *Trunc.* erectus, 20—30 pedalis, cortice laevi, rubro-fusco, ramis reflexis. *Fol.* approximata, disticha, linearia, plana, obscure viridia, coriacea. *Flor.* monoici, axillares. *Ament.* masculis globosis. Receptaculum urceolatum, succulentum, coccineum. Brühl, Heiligenkreuz. *Fl.* Ap. — Maj.

#### EUPHORBIACEAE.

9. **Euphorbia Cyperissias.** (*Nomen a Juba, Numidiae rege, in memoriam medici sui Euphorbi. Τιθύμαλος κυπαρίσσιας Diosc.*)

Cypressen - Wolfsmilch, Tannen - Wolfsmilch, Esels-, Krotenkraut, Warzengras.

Pryšec chwogka, P. Sosenka, Boh. Farkas - téj, Hung. Euphorbe cyparisse, Gal. Cypress spurge, Angl.

#### Jacq. 435. Pl. 367.

*Rad.* longa, ramosa, interdum repens. *Caul.* erecti, teretes, glabri, ramosi, ½ — 1½ pedal. *Fol.* sparsa, subsessilia, linearia, obtusiuscula, integerrima, glabra, glauca. *Umbella* multiradiata, *Invol.* 4 — 5 denta-

tum. Involucella subcordata, coloris flavo - viridis, post anthesin flavo - rubri; glandulis lunato - subbicoribus. *Caps.* 3 loba, scabriuscula: semin. obovatis, laevibus, fuscis.

In pascuis, locis arenosis *Fl.* Ap. Maj. Huc pertinent etiam:

*E.* Peplus — *E.* falcata — *E.* exigua — *E.* diffusa. — *E.* epithymoides. — *E.* villosa etc.

#### 10. **Mercurialis perennis.** (*Mercurii herba v. ei sacrata*).

Ausdauerndes Bingelkraut, Merkurkraut, Ruhr-Hunds-kraut, Hundskohl.

Bażanka ozimá, Boh. Bazanka, Szczyr trwaly, Pol. Mercuriale, Ital. Mercuriale sauvage, Gal. Dog's mercury. Angl.

*Fl.* Dan. 400.

*Rad.* horizontalis, repens, geniculata; *Caul.* subteres, pubescens, simplicissimus, 1 pedalis. *Fol.* opposita, petiolata, ovato - lanceolata, crenato - serrata, pubescentia, obscure viridia. *Flor.* dioici, spicati, axillares. *Perig.* 3 — 4 phyllum: phyllis ovatis, acutis. *Caps.* hirsuta, dicocca.

In montosis sylvaticis, ad sepes. *Fl.* Vere.

#### ARISTOLOCHIEAE.

#### 11. **Asarum europaeum.** (*Quasi ab α pr. — σαιρω, mundo, nam tota planta humistrata sordida*).

Haselwurzel, Haselkraut, Hasenöhrlein, Weihrauch-kraut, wilder Nardus.

Kopitnjk ewropeyský, Boh. Kopytnik pospolity, Pol. Kereg kapotnyak, Hung. Asaro, Ital. Asaret d'Europe, Gal. Asarabacca, Angl.

*F. D.* 633. — *Pl.* 358. *Wag.* 52.

*Rad.* repens, calatum stram. crassa, tetragona, geniculata, fibris plurimis firmata. *Caul.* vix pollicaris,

simplex, teres, pubescens. *Fol.* longe petiolata, bina, reniformia, obtusa, subhirsuta, coriacea, supra nitida, obscure viridia, — subtus pallidiora, venosa. *Flos* plerumque occultus, interne atro-purpureus, 3 fidus: lacin. erectis, apice inflexis; stam. 12, ovario imposita, — *caps.* coriacea, 6 locularis: loculis 3 spermis.

In dumetis: Dornbach, Hätteldorf, Brühl. *Fl.* Vere.

### THYMELEAE.

**12. Daphne Mezereum.** (*Δαφνη in Diosc. nomen Lauri. Mezereum sec. Ruellium p. 655 ab amazare tödten, nam folia masticata linguam mordent*).

Gem. Seidelbast, Kellerhals, Wolfs-Zeidelbast, Zeiland, Bergpfeffer, Pfefferstrauch, Brennwurz, Oest. Zilingenblüh.

Leykowec lekařský, Boh. Wilcze ťyko, Pol. Farkashárs, F. Boroszlán, Hung. Mezereo, Ital. Mezereum, Lauréole femelle, Gal. Mezereon, Common spurge olive, Angl.

**F. D. 268. Pl. 302. Wag. 85.**

*Rad.* perennis, perpendicularis, ramosa. *Caul.* fruticosus, erectus, ramosus, 2 — 4 pedalis, cortice vestitus subsusco v. viridicanti, intra flavescenti. *Fol.* lanceolata, basi attenuata, integra, glaberrima, membranacea, serotina. *Flor.* sessiles, terni, praecoces: perig. infundibuliforme, limb. 4 lobo, roseo, infra pubescenti, suaveolenti; stam. 8 tubo inserta, styl brevis, terminalis. *Bac.* magnitudine pisi, 1 locularis, 1 sperma, mature coccinea, (sem. Cocognidii v. Coccumgnidii, grana v. cocci Gnidii).

In sylvis montanis, subalpinis: Kahlenberg, Dornbach, Brühl, b. Baden. *Fl.* Vere.

### 13. **Daphne Laureola.**

Immergrüner Seidelbast, Seidelstaude, Lorbeer-daphne,  
Lorbeerstaude.

Laureola maschia, fruzzicona, *Ital.* Lauréole mâle, *Gal.*  
Commone daphne, *Angl.*

Jacq. 183. Pl. 303.

*Rad.* longissima, ramosa. *Caul.* fruticosus, erectus, teres, 2 — 3 ped. *Fol.* alternantia, brev. petiolata, ovato-lanceolata, obtusa v. acuta, integerrima, coriacea, nitida, laevia, sup. obscure viridia, subt. flavo-viridia. *Flor.* brevissime pedicellati, axillares, racemis umbellatis, cernuis. *Perig.* infundibuliforme: limbo 4 — 5 lobo, flavo viridicanti. *Bac.* ovata, atra.

In sylvaticis: Leopoldsberg, Kahlenberg, Hermannskogel, Geissberg etc. *Fl.* Vere.

## POLYGONEAE.

### 14. **Polygonum hydropiper.** (*πολύ multum - γόννον, genu, propter caulem geniculatum. Hydropiper ex ὕδωρ, aqua — πίπερον, piper, propter acrem saporem*).

Wasserpfefferknöterich, Scharfer Knöterich, Wasser-pfeffer, Bitterling, Flohpfeffer, Mückenkraut.

Rdesen pálečník, *Boh.* Rdest pieprzny, *Pol.* Vici Bors, *Hung.* Idropepe, *Ital.* Renouée poivre d'eau, *Gal.* Water pepper, *Angl.*

F. D. 1576. Pl. 308.

*Rad.* annua, ramosa, fibrosa. *Caul.* erectus, teres, glaber, pedalis v. ultra, geniculatus, supra genicula tumidus. *Fol.* petiolata, lanceolata, acuta, undulata: ochreis laxis, subciliatis. *Spicae* graciles, terminales, cernuae. *Perig.* 4 — 5 fidum, extus punctato-glandulosum.

In fossis, palustribus etc. *Fl.* Aestate.

## PRIMULACEAE.

**15. Cyclamen europaeum.** (*Tournefort a κυκλος, circulus, quem radix et folia aemulantur*).

Europäische Erdscheibe, Sauscheibe, Sau- Schweinsbrod.

Brambořk ewropeyský, Boh. Ziemplak, Pol. Ciclamine, Paneporcino, Ital. Cyclame, vulgo Pain de pur, Gal. Cyclamen, Sow-bread Angl.

Jacq. F. A. 401. Pl. 85.

*Rad.* placentiformis, carnosa, extus nigricans, intus albida, basi radicans: fibris filiformibus. *Fol.* petiolis longissimis, teretibus affixa, reniformi-ovata v. cor data, dentato-crenata, sup. virentia et maculata, subt. pallidiora, purpurascens. *Flor.* pedunculati, cernui. *Cal.* campanulatus, 5 fidus, persistens; *cor.* decidua, tubo subgloboso, brevi, limbo 5 partito: lacin. ovato-lanceolatis, acutis, reflexis, purpurascen tibus; — *stam.* 5 tubi basi inserta, antherae lutescentes in conum conniventes. *Caps.* subrotunda, coriacea, in multas valvulas dehiscens — *Sem.* plurima, subreniformia.

In sylvis montosis: Kahlenberg, Pötzleinsdorf, Dornbach, Brühl, Baden etc. *Fl.* vere dein Aug. — Oct.

## SCROFULARINEAE.

**16. Gratiola officinalis.** (*a gratia, Gnade, propt. virtutem salubrem*).

Gottesgnadenkraut, Purgir-Gichtkraut, Erdgalle, Wild aurin.

Konjtrud lekařský, Boh. Konitrud lekarski, trud pospolity, Pol. Csikorgó-sü, Hung. Graziola, Ital. La gratiola, l'herbe au pauvre homme, Gal. Hedge hyssop, Angl.

F. D. 363. Pl. 15. Wag. 193.

